



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Quod nemo recte possit magistratum gerere quàm Christianus

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

to Christiano homini indignum esse ut magistratus publico fungatur, nihilq; opus esse Christianis magistratu. IOIADA. An ergo non est satis probatum duodecimo sequentibusq; articulis, non posse res humanas sine magistratu consistere? SIMON.

Ego uero adhuc argumenta quedam adducam, si me uis audire. IOIADA. Quæ? Ego asserere audeo quod nemo magistratum recte gerere possit, nisi sit Christianus. Metuo ὑποῦλον aliquod subesse Simon quod intus alatis, quod tantopere contra dei ordinationem pugnatis. Sed ego quod tibi paradoxon uidetur probabo. Spiritus Christi diffundit charitatem in cordibus nostris, eamq; charitatem qua non solum amicos, sed & hostes quoq; diligamus. Qui hanc charitatem habet, spiritum Christi habet. Si iam magistratui amorem indas, concidet fraudulentum priuate rei studium. Quum igitur spiritus Christi hoc habeat quo magistratus, adeoq; ciuitas ipsa maxime indiget, nihil poterit uel magistratui uel reipublicæ auspicius accidere quàm amor. Hunc autem quum euangelium secum adferat, constat ciuitatem tunc tandem firmam esse ac sanctã, si bonis legibus bonæ mentes socientur. Nulla ergo ciuitas beator erit, quàm ea quæ magistratum Christianum habet, & in qua uera religio uiget. Quod in primis curabunt magistratus si Christiani sunt, ut gloria scilicet Christi, iustitia, &

ueritas regnet. Quod si membra sic habere conuenit,
 multo magis caput ipsum. Ego itaque à te Simon so-
 cijsq; tuis lōge dissentio, diuersumq; pronuncio: Ae-
 quum scilicet ac iustum magistratum ne esse quidem
 posse, nisi sit Christianus. Adime magistratui timorem
 dei, tyrānum reddidisti. Insere tyranno timorem
 dei, iam sua sponte liberius ac fidelius faciet quod lex
 iubet, quā nullus terror efficere possit, faciesq; ex ty-
 ranno, ad exemplum eius quem iam colere ac timere
 coepit, dei uidelicet, patrem. Desine ergo Simon in-
 uerba loqui. Tunc tandem abolendus est magistra-
 tus, quū flagitia sic sunt abolita ut nemo peccet neq;
 lingua neq; factō. Hoc in alio mundo eueniet, huic e-
 nim negatū est tanta innocentia frui. Quum ergo per-
 petuo fuerint qui sub nomine pietatis hoc audeant,
 quod impij, perpetuo quoq; habēdus est magistratus,
 Christianus tamen maxime inter Christianos. Per deū
 ergo te oro Simon, ut in his rebus sapiēs esse desistas,
 in quibus sole clarius uidetur nihil quæri, quā tumultum,
 & ad gloriam erumpi quacumq; uia. Quis enim
 non uidet hanc ipsam esse tentationem Satanae? qui
 semper audet bono semini superseminare zizania.

SIMON. Hoc in primis semper querimus quod
 argumenta nostra audire non uultis, & dum nos no-
 stra probare uolumus, uos alia quædam ingeritis, ac
 deinde tanquam rite probata concluditis. Sine ergo
 per deum

per deum te oro Ioiada, ut & mea proferam. IO
 IADA. Metuendum si non concessero, medius
 crepes, ita enim erumpere quæ concepisti gestiunt.
 Dic ergo quid tandem adferes, cui non sit iam centies
 responsum? SIMON. Mirum est quod uos ad
 ea respondiſſe dicitis, quæ nondum audiuiſtis. Gladius
 dei quidem ordinatio est, extra tamen perfectionem
 Christi, quo malus punitur & occiditur, bonus defen=
 ditur. In lege quidem ordinatus contra malos ad uin=
 dictam & mortem. Et ad hunc usum constitutus est
 mundi magistratus. Sed in perfectione Christi utimur
 excommunicatione tantum, ad commonefactionem et
 exclusionem eius qui peccauit. IOIADA. Ob=
 scure (ut tenebras decet) tua adducis, cupio ergo ex te
 scire quo perfectionem Christi referas, an ad caput, an
 ad corpus? Vis dicere, Christus ipse tam perfectus est
 ut gladio, hoc est, magistratu non egeat qui se emen=
 det aut puniat: an quod Christiani nihil opus habeant
 gladio aut magistratu? Nam amphibolum est, quum di=
 co perfectio Christi. Si primum, assentior dominum
 dominantium & regem regum tam abesse ut magi=
 stratu egeat, ut ne magistratus quidem sint, quibus offi=
 cium nõ sit ab eo superne datum. Si secundum, quod
 scilicet Christiani nihil opus habeant magistratu, o=
 mnibus modis renitor. Do enim istud ut facile sit tibi
 dicere: Christianus qui uere Christianus est, magistra=
 1107 3